Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

NÜRNBERG

Bibliographische Daten

Titel: Hartmann Schedel: Liber chronicarum – Nürnberg, STN, Cent. II, 98
Signatur: Cent. II, 98

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

Treveris Gallie belgice caput: Civitas antiquissima Ante xpi adventum 1991 temporibus abrahe a Trebeta Nini assiriorum regis germano a Semiramide regina ex assiria pulso in germanie confinibus constructa fuit. Nino quippe magno mortuo impubere filio derelicto Semiramis uxore privignum Trebetam suspicione ducta Eidem insidias parare cepit. Quam abhorrens Trebeta et non lacessitus e regno cum magno Assiriorum agmine secessit. Qui post multos errores, multosque viarum anfractus In belgica galliarum provincia tandem pervenit. Et haud longe a Rheno flumine loco feracissimo considens Ibidem et loco natura munito urbis huius fundamenta iecit. Et a se Treverim nominavit. Deinde Julius Cesar cum universam provinciam traiecto rheno flumine subiecerit. Ei viceconsulem et questorem dedit. Qui usque ad Imperii inclinationem ibidem perstiterunt. Ea quippe Treverensis civitas semper opulentissima fuit. Et inter quinque belgice provincie civitates principatus dignitatem et antiquitatem obtinuit. Eius Archiepiscopus e septem electoribus Imperatoris dignior habitus est. Hec florentissima civitas quondam opibus denique refertissima fuit. Reliquie ruine clare ostendunt. Monstratur ibi pallacium miri operis quod ad instar babilonii muri ex cocto latere factum: tante firmitatis hodie manet, ut non solum hostem non metuat, verum nulla operum arte frangi queat. Huius quoque urbis cives in moribus et ornatu legibusque ob mercatorum eo adventantium frequentiam et familiaritatem admodum culti et humani referuntur. Qui ob germanie vicinitatem Germanica utuntur lingua. Et ab eisdem cultu et exercitu et quadam in bellis ferocitate non multum differunt. Nam inter gallos singularis virtutis habentur: et equitatu et peditatu plurimum valere existimantur. Porta quoque ibi ostenditur. Que ex incredibili lapidum magnitudine ferro intortum compacta. In superiore sua corpora beati Simeonis et venerabilis presulis Poponis In Ecclesia ab eodem episcopo facta fovere cernuntur. Ea sane Civitas a valerio episcopo beati petri discipulo primo xpi Evangelium suscepit. Inde a beato paulino eiusdem episcopo viro sanctissimo illustrata fuit. Qui et a Constancio Imperatore ob catholicam fidem exilio relegatus et usque ad mortem et extra xpianum nomen mutando exilio fatigatus. Ad ultimum apud phrigiam defunctus beate passionis coronam a domino percepit. Ibi etiam floruit Maximinus episcopus. A quo Athanasius antistes persecutorem Constancii Imperatoris fugiens honorifice susceptus et habitus est. Habet civitas Nicecium episcopum totius sanctitatis virum et alios multos. Extant in ea aliqua antiquitatis insignia. Ex quibus muris temporibus insculptum lapide hoc epigramma repertum est. Nini Semiramis que tanto coniuge felix. Plurima possedit sed plura parentibus addit. Non contenta suis nec totis finibus orbis. Expulit e patrio privignum Trebeta regno. Insigne profugus nostram qui condidit urbem Treverim.